



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Disputatio XLIII. Vtrùm Deus potuerit vniri naturæ irrationali?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

# DISPUTATIO XLII.

Vtrum Deus potuerit fieri angelus?

S. Thomas quest. 4. a. 1.

§. 1. **S**. Thomas q. 4. vestigat quas naturas Deus potuerit assumere ad vnionem hypostaticam. Idem est Deum posse vniri hypostaticè naturæ angelicæ, ac posse fieri angelum. vt idem est incarnari, & hominem fieri.

§. 2. Conclusio est S. Thomæ a. 1. ad 3. potuisse Deum vniri hypostaticè angelicæ naturæ. quam doctrinam amplector cum ceteris Theologis. Probatur. quia ex parte Dei nulla est repugnantia ad hanc vnionem potius quàm ad naturam humanam. ex parte angeli nulla est specialis repugnantia: quia eius natura tam perfectè subsistit, quàm nostra. Item probaui vol. 1. disp. 11. Metaphys. à §. 39. in angelo distingui realiter suppositum à natura; postea autem destrui suppositum, & pro illo subrogari increatum: & quamuis non distinguantur; poterit ea vnio fieri: quia iam ostendi naturam creatam retentâ propriâ subsistentiâ posse vniri ad hy-

postasim Dei. idem erit de natura angelica: quæ vt natura est, poterit vniri alieno supposito retinens proprium.

§. 3. Hæc tamen conclusio non est tam certa; quin possit absque periculo negari: tam enim negauit Albertus Magnus in 3. d. 2. a. 2. Fundamentum esse potest: quia, vt natura vnatur Deo, opus est vt careat propria subsistentia; vt docet maior pars Theologorum: sed natura angelica carere non potest propria subsistentia: quia ab ea non distinguitur: ergo. Quæ propositio non est digna vlla censura. ex quibus inferitur non posse angeli naturam vniri Deo hypostaticè. Consequentia est bona; nec consequens est absurdum absurditate digna Theologica censura. Recognosce eam disp. 11. Metaphys. sect. 4. P. Vasquez disp. 30. n. 1. conclusionem hanc è §. 2. vocat sententiam communem, atque Catholicam. nullibi tamen video definitam.

# DISPUTATIO XLIII.

Vtrum Deus potuerit vniri naturæ irrationali?

SECTIO I. *Qui affirmant*

SUBSECTIO I. *Probatio ex Patribus.*

SUBSECTIO II. *Probatio ab absurdo.*

SECTIO II. *Opposita sententia praesertur.*

SUBSECTIO I. *Probatur ex Patribus.*

SUBSECTIO II. *Probatio ex ratione.*

SUBSECTIO III. *Probatio moralis.*

SUBSECTIO IV. *Vltima probatio.*

§. 1. **N**on est controuersia de vnione materiæ primæ: est enim certum eam vnitam hypostaticè Verbo non solum quamdiu fuit coniuncta cum animo rationali; sed etiam in triduo, quando Christi corpus fuit exanime. Quamuis enim aliqui pauci ex antiquis non admiserunt vnionem immediatam Verbi ad materiam; iam ea propositio non potest exponi de carentia physica immediatæ vnionis: sine qua vnione immediata physice vix potest explicari mysterium. Est igitur quaestio, vtrum forma equi aut lapidis potuerit vniri Verbo, vt vnita est hominis forma. Necessè quaestio de forma separata à materia (quamuis ea quoque attingetur) sed de forma vt vnita materia: ita vt Deus possit fieri equus aut lapis, vt factus est homo, & potuit angelus fieri.

SECTIO I.

*Qui affirmant?*

§. 2. **C**apreolus in 3. dist. 2. q. 1. a. 1. conclus. 1. Caiet. & Thomista in hunc artic. Scotus in 3. d. 2. q. 1. §. 1. ad secundum argumentum: Durand. q. 1. Almainus d. 1. qu. 2. initio: Marsilius in 3. qu. 3. art. 1. Okamus in 3. qu. 1. art. 3. ad 9. P. Valent. disp. 1. qu. 1. punct. 1. P. Suarez disp. 14. sect. 2. P. Vasquez disp. 3. c. 2. P. Ragusa disp. 56. §. 2. Cabrera in hunc artic. disp. 3. n. 8. Lorca disp. 27. n. 11. & alij plerique. *Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.*

centent posse diuinitus assumi naturam irrationalem, & in triduo assumptam reipsa.

SUBSECTIO I.

*Probatio ex Patribus.*

§. 3. **P**rima probatio est ex Patribus. Tertul. lib. de Carne Christi c. 3. asserere videtur columbam assumptam ab Spiritu sancto, quando in Iordane visibilis interfuit baptismo Christi: ait enim Spiritum sanctum columbæ corpori illapsam descendisse super Dominum: *Qui Spiritus cum hoc esset?*

S. Thom.  
2. 2. 6. 1.

set, tam verè erat columba, quàm Spiritus; nec interfecerat substantiam propriam assumpta substantia extranea. Respondeo, Tertullianum non dixisse Spiritum sanctum tam propriè esse columbam, quàm Spiritum; nec enim Verbum tam propriè est homo, quàm Deus: est enim Deus per essentiam; homo autem per denominationem ab humanitate: sicut Petrus non est tam propriè albus quàm Petrus: Deus verè & propriè est homo; sed magis propriè est Deus: quamquam hæc sit quæstio de voce. Disputat Tertullianus contra Marcionem, & alios negantes veritatem carnis Christi: contra quos producit angelos qui Abrahamo apparuerunt, quos dicit gestasse veram carnem, non phantasticam: item columbam non fuisse phantasticam, sed veram: quam dicit tam propriè esse columbam, quàm Spiritus erat Spiritus. itaque ei erat sermo de veritate carnis Christi: quam probat veritate carnis, quam angeli ostenderunt; & veritate columbæ in Iordane, cuius substantiam & veritatem non interfecit Spiritus sanctus eam assumens: non hypostaticè; sed ad illud visibilem effectum per assistentiam extrinsecam. De columbarione autè Spiritus sancti quorsum esset acturus, & probaturus Incarnationem alio exemplo creditu difficiliore de veritate autem corporis columbini fuit illi quæstio perutilis: quam etiam disquirunt S. Thomas 3. p. q. 39. a. 7. P. Vasquez & Medina, aliud afferunt Tertulliani testimonium: quod pro me expendam §. 9.

§. 4. Secundò, P. Vasquez adducit Gregor. Nyssenum oratione catechetica (quæ dicitur Magna) cap. 27. Vbi ait Nyssenus omnes naturas æquè esse distantes à Deo. Vnde si Deum dedecuit assumere corpus humanum; ita dedeceret & cæleste. Verùm hoc argumentum detorqueo in P. Vasqu. & Medina eosdem, afferentes materiam primam, & formas corruptibiles separatas non esse assumptibiles; cuius oppositum eodem probatur argumèto Nysseni: quia à Deo æqualiter distant naturæ completæ & incomplete, substantiales & accidentales, neque vna est magis Deo digna & decora, quàm alia: ergo omnes possunt assumi. Vt ergo P. Vasquez & Medina has naturas excipiunt, quin aduersentur Nysseno, quidni & nos excipimus alias? Nyssenus autem ibi disputat contra Marcionistas, qui (vt colligitur ex Nysseno ibidem, & Tertulliano libr. de Carne Christi cap. 4.) adstruebant esse indecorum Deo assumere corpus terrestre propter spurcitiam coaguli in ventre, & alias carnis immunditias; quibus censebant Deum infectum iri si carnem assumeret, quamobrem illi adstruxere cæleste corpus. Nyssenus autem probat, cæleste non esse Deo magis decorum, quàm terrestre. & quidem rectè: quia neutro perficitur Deus, aut maculatur. Cùm igitur Deus propter suam infinitudinem sit omnino incapax accipiendi à creaturis pulchritudinem, aut scditatem; rectè concludit Nyssenus, omnes creaturas ab illo æqualiter distare ab illo perficiendo, aut maculando, cuius oppositum conabantur hæretici. Hac autem doctrinâ positâ, rectè confirmat Nyssenus potuisse Deum optimo sine moueri ad assumendum corpus in illis, quas hæretici vocant, immunditias: quia illæ sunt bonæ ad propagationem generis humani, aliosque fines: tum quia eas assumens, per illas morbos abegit ab homine in illis nato. extendere autem sermonem ad omnia irrationalia nec Nysseno venit in mentem, neque eius intererat, dum probaret potuisse à Deo assumi corpus humanum. Quod non pendet ex ea vniuersali propositione, omnes creaturas posse assumi, quam ipsi Medina & P. Vasquez inficiantur in parte.

§. 5. Secundò, arguit P. Vasquez ex August. 10. 1. lib. de Vera religione cap. 16. his verbis: Ita enim demonstrauit carnalibus, & non valentibus intruere mente veritatem, corporeisq; sensibus dedit, quàm excelsum locum inter creaturas habeat humana natura. Quod non solum visibiliter (nam id poterat in aliquo aethereo corpore ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperata) sed etiam hominibus in vero homine apparuit. Vbi B. August. ait potuisse Deum, apparere in corpore aethereo per vnionem hypostaticam, sicut apparuit in humano. Respondetur Primò, B. August. nec per somnium fauere huic sententiæ: quia tantum vult à Deo coactos fuisse homines carnales, vel ipsis oculis videre sublimitatem humanitatis assumptæ: non solum quod in excelso loco sit collocata: id enim in alio corpore assumpto præstari poterat; vt communiter assumitur ab angelis: quod sic assumptum, & in excelso collocatum poterat videri. nam præter hunc conspectum vult August. vt cognoscamus humanitatem sic cleuatam esse assumptam in vnitate personæ, qui sensus dilucide colligitur ex Augustinianis verbis. Secundò, esto loquatur de vnione hypostatica; potuit quidem assumere corpus æthereum secundum materiam; non verò secundum formam; illudque nostris aspectibus temperare.

## SUBSECTIO II.

## Probatio ab absurdo.

§. 6. **Q**uartò argumentantur: quia in triduo mortis Christi cadauer fuit hypostaticè vnitum Verbo Dei. Quod Cabrera ait esse secundum fidem: ergo cæteræ formæ possunt vniri. Nescio vbi Cabrera viderit tam longam fidem, cum ex antiquis nullus dixerit Deum aliquando fuisse cadauer: nec scio vtrum legerit Marsilium in 3. q. 34. art. 1. & q. 13. art. 1. afferentem à nullo antiquo Theologo dictum, nouam formam inductam in Christi corpus exanime; neque hoc alicubi est definitum: sensit tamen Marsilius, caruisse, nempe Christi corpus, forma substantiali in triduo. quod tuentur Henricus quodlibeto 1. q. 4. vt probabile, & Scotus absolute quodlib. 2. art. 1. & quodlib. 3. a. 4. ad 1. & quodlib. 4. q. 3. & cum eo eius discipuli contenti sola forma corporeitatis. Quam opinionem etsi falsam censet Caiet. non tamen improbabilem in Theologia, è quo ergo cerebro istam fidem Cabrera protulit? Verùm admittamus formam cadaueris; illam non fuisse hypostaticè vnitam docent auctores scct. 2. referendi: item colligitur ex Durando in 4. dist. 10. q. 1. afferente nihil vnitum Verbo, nisi quod pertinet ad essentiam hominis: sanguinemque ait non fuisse immediatè assumptum, quia non animatur. Primam partem positionis Durandi, nempe nihil assumptum, quod non pertineat ad essentiam hominis; satis probabiliter probat P. Suarez ex S. Thoma & Ricardo tom. 2. in 3. p. disp. 38. scct. 3. Occurrit igitur. Respondeo ergo, in triduo corpus Christi, id est, materiam primam existentem cum forma cadaueris, man-

manisse vnitum immediatè hypostaticè Deo; formam autem cadaueris non fuisse assumptam immediatè. Neque id fuit necessarium: ea tamen forma caruit propria subsistentia. quod P. Suarez supra ait esse probabile. Ad quod moueor: quia S. Thomas q. 5. art. 5. ait in Christi corpore mortuo non fuisse nisi vnum suppositum. quod tamen posset explicari. Videat autem Medina, quàm scrupulosa fuerint aures, apud quas malè audiuit hæc opinio propter hoc argumentum.

SECTIO II.

*Opposita sententia præfertur.*

§. 7. **D**isp. 1. de Anima §. 43. dixi non potuisse hypostaticè vnitri formam aliquam irrationalem nec in composito, nec extra illud: cuius probationem huc reieci. Hanc sententiam expressè docuerunt S. Thomas, vt ostendi in expositione huius articuli: S. Bonauent. in 3. d. 2. q. 1. Dionys. Carthuf. ibidem q. 2. a. 4. Henric. quodlibeto 13. q. 5. asserens vtramque sententiam esse solemnem: primam solemniorem; hanc autem veriorem. Alexand. 3. p. q. 2. membro 7. q. 11. membr. 1. & q. 12. membr. & art. 1. Picus Mirandulanus in apologia q. 4. Quam in vtramque partem vt probabilem disputant & defendunt Ricard. de Mediauilla in 3. dist. 2. q. 4. item Gabriel dist. 1. q. 2. art. 2. referens ex Thoma de Argentina hanc opinionem esse magnorum Doctorum. pro qua refertur etiam Marsilius à P. Suarez & P. Vasquez. Miror autem cur dixerit Picus eam esse contra communem Theologorum. excusationem ab ipso accipio: quia cum eam defendit, nondum erat natus annus 24. Quam esse Origenis P. Vasquez fatetur ingenuè disp. 30. n. 8. Item Tostati, & aliorum negantium Verbum vnitum immediatè sanguini: quia non est animatus: censent enim non posse fieri eam vniionem: quorum memini disp. 1. de Anima §. 43.

§. 8. Aliqui S. Thomam conantur exponere; sed immeritò. id que colligo ex corpore articuli, vbi ait S. Thomas deficere naturæ angelicæ necessitatis congruitatem; irrationali autem deficere & necessitatem, & congruitatem: sed ista congruitas in sententia S. Thomæ est potentia obedientialis passiuæ: ergo natura irrationalis caret ea potentia. Probatur Minor his verbis S. Thomæ: *Quæ quidem aptitudo non potest intelligi secundum potentiam passiuam naturalem: vnde relinquitur quoddam assumptibile aliquid dicatur secundum congruentiam ad vniionem prædictam: quæ quidem congruentia attenditur secundum duo in humana natura. &c.* Cum ergo hæc congruentia sit, qua homo est assumptibilis de potentia absoluta, & negat S. Thomas naturæ irrationali vtramque rationem congruentiæ; ei apertè negat omnimodam assumptibilitatem. Confirmatur ex responsione ad 1. erat enim obiectum, omnes naturas esse æqualiter assumptibiles, quia id pensatur ex assumptente Deo, & nõ ex natura assumpta. Respondet autè S. Thomas: *Sic ergo dicitur aliqua natura nõ esse assumptibilis, non ad subtrahendum aliquid potètiæ diuinae, sed ad ostendendam conditionem creaturæ, quæ ad hoc aptitudinè non habet.* At aptitudo hæc non est naturalis, sed obedientialis: ergo hanc negat S. Thomas. Qui cum dixisset naturas non dici assumptibiles, secundum

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars 1.

earum causas particulares, sed secundum Deum: vt morbus dicitur incurabilis respectu illarum, & non respectu Dei; dicit naturæ irrationali deficere hanc aptitudinem respectu Dei. Ad secundum autem, id docet expressiùs: vt enim corpus ineptum animæ sensitiuæ intelligitur magis ineptum animæ rationali: ita natura irrationalis, quia est inepta assumptioni per intellectum, est magis inepta vniioni hypostaticæ. Quo argumento S. Thomæ vtuntur huius opinionis sectatores. Angelos non ait esse inassumptibiles, sed non egere assumptione. Quamobrem Dionys. Carthusianus infra adducendus rectè ait S. Thomam mutasse sententiam, quam iunior docuerat in 3. dist. 2. q. 1. art. 1. Vbi expressit naturam irrationalem esse absolutè assumptibilem; quamuis de facto non assumatur, neque hoc fuerit tam decens: in præsentem autem expressè negat istam aptitudinem assumptioni, quidquid obstrepat Caiet. P. Vasquez autem disp. 30. cap. 4. stat satis à Carthusiano.

SVBSECTIO I.

*Probatur ex Patribus.*

§. 9. **Q**uam Primùm probo ex Tertulliano lib. de Carne Christi cap. 4. Vbi cum Marcio præ nausea obieciisset, stultum esse credere Deum natum ex Virgine cum immunditijs puerperij, & adstrueret assumptisse Deum corpus phantasticum, ait Tertull. *Si hæc sunt homo, quem Deus redemit; tu hæc erubescenda illi facis, quæ redemit, & indigna; quæ nisi dilexisset, non redemisset: natiuitate reformata, regeneratione cælesti carnem ab omni vexatione restituit, leprosam emaculat, cacam perluminat, & nasci in illa erubescit: si reuera de lupa, aut sue, aut vacca prodire voluisset, & fera aut pecoris corpore indutus regnum calorum prædicaret, tua, opinor, illi censura præscriberet? Ac si dicat, Opinor, ò Marcio, tuam censuram fore veram, si Deus natus ex lupa aut porca, vero porcino corpore indutus, regnum Dei prædicaret: at cum tu fatearis Deum misericordissimè hominem dilexisset, & liberasse per Christum; non est, cur non dilexerit modum, quo nascuntur homines: id enim sunt homines, quos redimendos suscepit.*

§. 10. Dicunt P. Vasquez & Medina (quos sequuntur nonnulli eorum codicibus directi) Deum posse fieri lupum iuxta hanc sententiam Tertulliani, & sic regnum Dei prædicare, id que fore magnæ misericordiæ opus. subijcit enim immediatè post verba adducta: *Turpe hoc Deo, & indignum, & stultum propterea qui ita credat. sit planè stultum, si de nostro sensu iudicemus Deum: stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientiam.* Miror viros eruditos in hanc incidisse sententiam: mutilatam enim periodum agunt in oppositum sensum. obiectio enim illa: *Turpe hoc Deo, erat Marcionis eo argumento probantis Deum non assumptisse verum corpus humanum; quia id esset indignum Deo.* Huic argumento respondet Tertullianus, non verò argumento contra verum corpus lupinum. de quo nusquam controuersia Catholicis cum Marcione & Cerdone. Subijcit autem Tertullianus: *Quam hæc stulta sunt: conuersio hominis ad cultum veri Dei. Quare ergo de quibus dixerit, & si te præsumpseris inuenisse, non erit iam stultum credere in Deum natum, & quidem ex Virgine: & quidem carneum, qui per illas natura contumelias volutatus sit.* Igitur

S. Thom. q.  
4. 1.

tur obiectio hæretici erat contra humani corporis contumelias, non contra lupini: responsio autem Catholici est pro illis contumelijs corporis humani, non pro dedecore corporis lupini. *Ad autem si reuera de lupa, non est argumentum conditionale, vt inde ostenderet Tertullianus misericordiam Dei; sed est à maiori ad minus, id est, stultum esset Deum fieri lupum, idque meritò recufatis: at non est stultum Deum fieri hominem, cum tunc fatearis hominem à Deo esse redemptum.*

§. 11. Confirmatur. Huic obiectioni Marcionis responderet Tertullianus, stulta mundi elegisse Deum ad confusionem sapientiæ, alludens ad testimonium B. Pauli: atqui Deus non elegit corpus lupinum, sed humanum, ad confundendam sapientiam: ergo Tertullianus non loquitur de corpore lupino, sed humano. Deinde perquam stultè argumentaretur Tertullianus. Si enim hæreticus contra Scripturæ testimonia apertè negabat decere Deum corpus humanum assumere, tamen fatebatur hominem à Deo redemptum: nonne maiori nauſea negaret decere Deum corpus suinum, cum ad id neque Scriptura, neque ratio posset vrgeri? Quorsum ergo Tertullianus obiecit argumentum illud de corpore suino? nisi vt ostenderet hæretico non defuisse Deo sufficientem rationem ad susceptionem contumeliarum corporis humani, cum per illas hominem redemerit; defururam autem ad suscipiendum corpus suinum, cum per opera in illo exercita nullum posset redimere.

§. 12. Secundò, argumentor ex August. (sive, vt melius dicam, Hugone Victorino auctore eius libri, testibus Trithemio & Bellarmino) tom. 3. lib. de Spiritu & anima c. 14. vbi asserit animo inesse aptitudinem ad vnionem hypostaticam ex intelligendi virtute: *Sicut enim (inquit) supremum anima, id est intelligentia, sive mens, imaginem, sive similitudinem, gerit sui superioris, id est, Dei: vnde & eius susceptiua esse potuit ad vnionem personalem: & quando ipse voluit, absq; vlla diminutione naturæ suæ: sic supremum carnis, id est, sensualitatis, anima gerens similitudinem, ad personalem vnionem eius essentiam suscipere potest.* Vnde tam carni, id est, corpori vnito animæ rationali, & ipsi animæ tribuet potentiam ad vnionem hanc, ex eo quòd dicit similitudinem gerens Dei in intellectu, dixitque sine diminutione, id est, sine dedecore, aut imminutione dignitatis, apud nostrates *sim mengua*. Cum ergo hæc similitudo deficiat naturæ irrationali, defecit etiam aptitudo ad vnionem illi innixa.

§. 13. Dices ab August. adstrui animam esse assumptibilem: quia habet intellectum; at non negari ceteras naturas esse assumptibiles. Contrà: Nisi intelligentia esset ratio adæquata assumptibilitatis, inepta esset August. ratio: omnino enim non ideo esset potentia ad assumptionem, quia esset intellectiua; sed quia esset natura substantialis. Quorsum ergo ea ratio redderetur ab August. vt commendaretur dignitas animæ ex facultate intellectrice? Nam cum percussisset animas vegetatiuas & sensitiuas, gradum faciens ad rationalem, in illa recognouit aptitudinem ad assumptionem hypostaticam. Id esset ineptum, si eam aptitudinem cognouisset August. in cæteris gradibus animæ.

§. 14. Clariùs autem to. 4. lib. 2. de Incarnatione Verbi, aliquanto post medium, probans à Verbo assumptum corpus mediante anima, ait: *Hac ergo substantia anima inter Deum carnemq; mediante: non*

*enim possibile erat Dei naturam corpori sine mediatore misceri; nasceretur, vt diximus, Deus homo. Lege quæ supersunt in eo capite; vbi ratio potentia susceptiua vnionis hypostaticæ sumitur ex intellectu. nec negari potest eam esse sententiam auctoris eius libri, siue sit S. Augustinus, siue S. Fulgentius.*

§. 15. Confirmatur ex Anselmo l. 2. *cur Deus homo* c. 10. cum enim obiecisset Boso, *Cur non tales fecit angelos; & duos primos homines?* Responderet: Quoniam non potuit; nec debuit fieri: & si quæris cur non vel tot, quot sunt personæ Dei, vel saltem de vno hoc fecit? Respondeo: Quia ratio hoc nullatenus fieri exigebat: sed omnino, quia Deus nihil sine ratione facit, prohibebat. Vnde infero assumptionem naturæ irrationalis esse impossibilem ex Anselmo: quia non exigit id ratio, in cuius doctrina impossibile esse quod Deum dedecere videtur, alibi ostendi. Fateor etiam ab Anselmo videri inuari angelicam naturam non posse vniri secundum hypostasim Deo: quod non est dignum censura. at id asserere etiam videtur de primis parentibus. quod explico in sensu composito propriæ subsistentiæ, in qua sunt creati: non enim est hoc absurdum.

## SVBSECTIO II.

## Probatio ex ratione.

§. 16. Tertiò argumentor ponens doctrinam S. Thomæ q. 3. art. 1. ad 2. Caietani ibidem: P. Suarez disp. 14. sect. 4. P. Valquez disp. 30. cap. 5. & communiter Theologorum: excepto Gabriele in 3. dist. 1. q. 2. conclus. 1. & alijs, nempe accidens non posse vniri Deo hypostaticè: ergo neque forma irrationalis. Probo consequentiam, quia accidens solum repugnat vnioni: quia non est natura simpliciter, cui repugnat vniri hypostasi in ratione hypostasis: cuiusque enim vnatur, est in ratione subiecti: sed forma irrationalis non est natura sufficiens ad constituendam personam: quia est natura intrinsecè dependens à subiecto, non minus quàm accidens: item quia persona est intellectualis naturæ indiuidua substantia.

§. 17. P. Valquez eo cap. 5. ait neque accidens, neque formas corruptibiles, neque materiam ab omni forma abiunctam posse vniri hypostaticè Deo: quia de rebus supernaturalibus tantum possumus coniectare ex auctoritate, neque nobis liberum est ex vno ad aliud dissimile diuagari: fides autem solum docet vnionem factam ad animam, & ad corpus, vt informatur forma substantiali: ergo nullo argumento possumus manuduci ad id in alijs asserendum. Respondeo Primò, eadem ratione negandum esse posse formam irrationalem vniri: quia de corpore vnito formæ, & de animo rationali nouimus reuelatione id fieri posse; de alijs autem formis nec vestigium habemus.

§. 18. Quod dicit de materia, displicet omnino: licet enim admittatur in composito catere propria subsistentia, ita caret anima (in sententia P. Valqu.) quæ tamen separata propriam habet subsistentiam: similiter materia diuinitus abiuncta eam posset habere: quia est terminus creationis, quæ terminatur ad rem subsistentem actu vel potentia; & licet nulla sit possibilis subsistentia naturalis materiæ in illo statu: quia ille non est naturalis simpliciter; posset

set tamen illi tribui substantia supernaturalis, quae subrogaretur pro complemento subsistendi, quod haberet materia in composito: quemadmodum datur actio supernaturalis ad producendum accidens extra subiectum: quae actio subrogatur pro educatione naturali. Idem dixerim de formis, quae secundum se sunt capaces substantiae: nam illa capacitas est earum essentia, quae eadem est intra & extra compositum: vnio enim essentialis neque auget, neque minuit capacitatem formarum: sed in sententia P. Vasquez est conditio repugnans substantiae partiali. cum igitur formae creatae ex vna parte sint capaces substantiae, & ex alia existentes extra compositum, carent conditione repugnante substantiae partiali; non video, cur de potentia absoluta repugnet illas compleri per partialem vnionem ad Verbum, vel per aliam supernaturalem substantiam etiam partialem. Neque item video, cur repugnet Verbum vniri materiae & formae distinctis vnionibus, easque conseruari destructa vnione materiae & formae. Neque item probo discrimen, quod videtur constituere inter formas corruptibiles & incorruptibiles materiales, cum aequaliter sint ineptae ad existendum extra materiam. Quod si hoc negatur materiae incorruptibili terminanti creationem; quia non potest a formis abungi, cur conceditur formae a materia pendenti ex natura sua?

§. 19. P. Suarez respondet vnionem ad accidens esse accidentalem: accidens autem non est aptum vt suppleatur per substantiam. Contra: Etiam modus formae materialis est quaedam species dependentiae a materia, & modus repugnans personae: ergo non poterit suppleri per substantiam omnino independentem a materia, & quae sit essentialis ratio personae.

§. 20. Dices, modum accidentis non continere cum Verbo in ratione termini substantialis; conuenire autem suppositum formae materialis in ratione communi suppositi. Contra: Quia neque suppositum formae conuenit cum supposito diuino in ratione termini independentis a materia; neque in ratione constitutivae personae: ergo non potest suppleri per substantiam Dei. Patet consequentia ex comparatione accidentis. Dices, conuenire in ratione suppositi. Contra: Etiam subiectum accidentis conuenit in ratione terminantis dependentiam accidentis; & tamen non potest Verbum subrogari pro subiecto ad terminandam illam dependentiam: ergo nec subrogari poterit pro supposito formae materialis propter dependentiam, quam habet a subiecto, Ratio a priori: quia non sufficit conuenientia tam generica cum tanta differentia in ratione dependendi, & non dependendi; sed requiritur, vt conueniant in independentia & personalitate.

§. 21. Dices Tertio, fore imperfectionem Verbum vniri vt subiectum; non vero vniri vt terminum. Contra: Vniri recipiendo in se vnionem, esset vniri vt subiectum, & esset imperfectio: quemadmodum est imperfectio vniri humanitati illam informando, vt illi vnitur substantia connaturalis: at vero non esset imperfectio vniri accidenti, & illud praecise terminare: sic enim ex natura rei subiectum terminat vnionem receptam in accidenti, quae vnio est in ipso accidente vt in subiecto; vt de informatione dixi disp. 5. Physic. Quod de potentia Dei non repugnat. Demus enim accidens crea-

tione productum. item demus Deum illud assumere producendo vnionem ex ipso accidenti: quia accidens perficitur per illam: eamque vnionem tendere in Verbum, vt in pure terminum. Hinc quae imperfectio in Deum redundat: cum non magis reciperet accidens, quam humanitatem: igitur solum videtur superesse, Verbum non posse vniri accidenti: quia non est capax, cum illo constituendi personam. quae capacitas ei repugnat cum forma irrationali.

§. 22. Dices, accidens carere modo positio standi per se, pro quo subrogetur suppositum Dei: at si accidens creetur, & habeat modum illum, poterit vniri Deo, si destruat ille modus: pro quo subrogatur Verbum. Contra: Nihil interest ille modus, aut eius carentia: quia vt subiectum accidentis terminat vnionem se tenentem subiectiue ex parte accidentis, & terminatiue ex parte subiecti (vt de informatione dixi disput. 5. Physic. sect. 6.) ita Verbum posset esse terminus alius vnionis receptae in ipso accidente, & terminatae ad Verbum. Deinde ille modus non esset talis, vt pro illo posset subrogari hypostasis: quia ille est accidentarius, & in genere valde diuerso, quam suppositum.

§. 23. Dices Quinto, neque etiam posse Deum vniri animo rationali: quia est substantia infinita simplex & completa; quae non conueniunt substantiae animae rationalis. Equidem ratione naturali idem dicerem ego, sed emendor fide, qua doceor partes essentielles, quae sunt perfecte subsistentes, & possunt constituere personam, esse capaces eius vnionis: cum autem caeterae formae simpliciter dicantur non subsistentes, subsistentes autem secundum quid; non video quod argumentum deduci possit ad has ab illis. Maxime cum multis probabiliter negent formis modum substantiae, & in compositis pure materialibus solum agnoscant substantiam materiae. quam tamen formae demus: quia tamen est cum dependentia formae a materia, vix dici potest substantia. est quidem non leuis haec ratio: quam insinuant Augustin. & S. Thomas, quia anima ex eo quod sit natura intellectualis, & perfecte subsistens, est apta constituere personam: materia vero, quia est perfecte subsistens, & potest componere hominem, est etiam capax constituendi personam. Quod vero ait S. Thomas, Verbum propter infinitatem non posse vniri accidenti, ita capio: quia non potest vniri nisi in ratione hypostasis terminando naturam, cum qua constituat personam.

## SUBSECTIO III.

*Probatio moralis.*

§. 24. **N**equae deest ratio moralis, quia Deus nihil potest efficere nisi honesto fine: sed nullus videtur possibilis finis honestus ad hanc vnionem: ergo. Probatum Minor: quia enim ratione honestari poterit Deum esse muscam aut murem?

§. 25. Dices, hoc argumentum esse haereticis familiare, ad negandam veram carnem Christi. Respondeo, haereticos arbitratos Deum intrinsece

S. Thom.  
9. 4. Art. 1.

maculatum iri per carnem, quod est delirium: nam vt ostendi ex Nysseno §. 4. contra illos disputante, Deus æqualiter distat ab omnibus creaturis: & sicut nulla perficitur, ita per nullam macularetur. Item arbitrabantur, Deum non posse moueri honesta ratione ad vnionem humanitatis: vt patet supra §. 9. ex Tertulliano probante contra Marcionem Deum motum ex affectu homines conuertendi. Et quidem cum humanitas sit capax boni moralis, potuit à Deo assumi ad infinitè gratificandum illud opus, vt per illud plenè satisfieret iustitiæ Dei: at in musca aut mucro quid conaretur Deus?

§. 26. Hoc autem argumentum est Tertulliani supra adducti §. 9. quo vtitur B. Bonauent. Henricus autem illud affert vt commune, quamuis dicit illo moueri deuotos rudes: Carthusian. autem ait dedecere Christianam fidem, vt ex ea hæc absurda sequantur. Imò Caietanus dicit hæc esse offensiuam piarum aurium: neque oportere de illis disputare, non dixit hæreticorum aurium; sed piarum. P. Valentia reprehendit Gabrielem, quod eas propositiones nudas protulerit; monetque dicendum absolute eas naturas non esse assumptibiles propter defectum decentiæ. Verùm cum sine incommodo id possit absolute negari; cur non tolleretur hæc petra scandali piarum aurium?

§. 27. P. Suarez tom. 2. disp. 27. sect. 2. vers. *Secundo certum est*: ait dedecere diuinam maiestatem hypostaticè vniri columbæ: ergo impossibilis est ea vnio: quia quod à Deo honestari non potest, fieri non potest. Hæc autem indecentia oritur ex imperfectione naturæ irrationalis.

§. 28. Tandem argumentor: Demus per possibile, vel impossibile, vniri Verbum Dei naturæ equi: tunc illa persona vt equus, esset filius naturalis Dei, non secus ac Christus vt homo: hoc autem nullus admittet: ergo Verbum non potest vniri naturæ equi, nec alij irrationali. Minor à nullo negabitur: *esset enim equus tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditarit. Cui enim angelorum dixit, Filius meus es tu? Quod exponam de Christo vt homine disp. 47. §. 21. recognosce ibidem sect. 2. Item posset Deus de illo dicere, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: quæ quadrat in Christum vt hominem: ergo vt homo est filius naturalis Dei.*

§. 29. Probo autem Maiorem, nempe personam illam vt equum fore filium naturalem Dei: quia ibi esset filiatio naturalis Dei in quasi subiecto apto ad constituendum filium: ergo esset filius naturalis. Consequentia est certa: quia ex duobus extremis aptis resultat compositum illis respondens: vt resultaret *subsistens*: quia ibi esset subsistentia & natura apta denominari *subsistens*: item vt ex vnione & humanitate resultat *sanctum*. Antecedens probo: quia equi natura apta est ad constituendum filium, non minùs quàm ad subsistendum. equus enim est filius alius equi: ergo illa natura apta est ad constituendum filium. item hypostasis est apta ad constituendum filium cum natura creata capaci filiationis: ergo equus vt equus esset filius naturalis Dei.

§. 30. Primùm obijcis, hypostasim esse aptam ad constitutionem filij; non verò naturam equi: non enim esset similitudo in natura. Contrà: In Christo non est similitudo vniuoca in natura; sed analogæ: & tamen, quia humanitas est apta ad con-

stituendum filium, item & hypostasis, idèò Christus vt homo est Filius Dei: sed natura equi habet analogam similitudinem cum natura Dei in gradu cognoscendi, sicut humanitas in gradu intelligendi: item constituit filium equi, vt humanitas filium hominis: ergo ea hypostasis constituet eam personam vt equum, filium naturalem Dei. Cui definitio filij æquè conuenit: est enim viuens à viuente in similitudinem naturæ à principio coniuncto. vel saltem vt Christus vt homo est filius: ita & illa persona vt equus.

§. 31. Obijcis Secundò, humanitatem esse naturam intellectualem capacem filiationis Dei, & hereditatis æternæ; item est apta constituere personam: equinitas verò eam non potest constituere, nec hereditare bona Dei. Contrà: Equinitas, quia constituit suppositum viuens à viuente à principio coniuncto in similitudinem naturæ, constituit equum filium equi: licet non constituat personam: quæ non est necessaria ad filium vt sic. si enim vt equus generat mulum, homo per impossibile ex bestia generaret brutum, produceret filium: ergo illa persona diuina vt equus, esset Filius Dei; licet non esset nisi suppositum.

§. 32. Quod explano: hypostasis diuina vnita materiæ primæ, illam reddit subsistentem, non filiam, nec sanctam: quia ex se est apta ad subsistendum, & hypostasis est subsistentia: at non est viuens, ac propterea non est filia: nec item est capax amicitiae cum Deo; ob quod non est sancta. Quia verò humanitas est viuens completum essentialiter, & est in supposito Filij Dei, idèò & est subsistens, & constituit filium, & est filia: item quia est capax amicitiae, est sancta: ergo hypostasis communicat naturæ cui vnitur omnes effectus formales, similes ijs, quorù ipsa est naturaliter capax. ita cum equinitate constitueret equum, subsistentem more suppositi completi, & filium: quia hos omnes effectus capit naturaliter equinitas: quæ constituit suppositum completum, & equum.

§. 33. Differt autem filiatio naturalis ab adoptiua: quòd hæc est metaphorica; ob complacentiam Dei in iusto, cui communicat sua bona more paterno: cuius filiationis est capax sola creatura intellectualis. naturalis autem filiatio est propriè filiatio: vel quia est natura viuens in supposito non alieno à Filio Dei, vel quia est à principio coniuncto in similitudinem naturæ.

§. 34. Ad argumentum ex §. 31. respondeo illa omnia esse vera: ex quibus deducitur, non posse subsistentiam Dei illi vniri naturæ: quia sequeretur duæ propositiones reciprocè contradicentes: fore filium naturalem Dei, & non fore. Fore quidem, quia natura viuens apta ad constituendum filium, esset illi vnita in filiatione naturali: non fore verò, quia illa natura non haberet attributa Filij Dei: non enim esset melior angelis, nec capax hereditandi bona Dei, nec amicitiae cum illo: quæ per se sequuntur filium naturalem. ob quod homo non potest generare brutum. igitur à negatione attributorum nego filiationis essentialitatem: item à definitione filiationis naturalis, eam affirmo: ergo ex hac vnione consequuntur filiatio & non filiatio. ob quod aperte repugnat.

§. 35. Hoc argumentum præcipue est ad hominem: censent enim aliqui referendi disp. 83. §. 79. Christum vt hominem reduplicando humanita-

tem, esse Filium naturalem Dei: quia filiatione vnitur extremo apto ad tribuendam eam denominationem personæ: sed equitas est etiam extremum aptum ad tribuendam eam denominationem; quia equus est filius alius equi: ergo Verbum cum equitate fundaret nouam filiationem naturalem Dei.

§. 36. At in sententia, quam ego tueor ea disp. 83. à §. 101. non est ea ratio tam efficax: ostendam enim ibi §. 106. leonem non habere similitudinem in natura cum Deo, nec esse eius imaginem. requiro igitur ibi §. 112. similitudinem in natura capaci mutuae amicitia. Qui ergo dixerit posse Verbum vniri equitati, dicet in hac sententia suppositum illud vt equum, non fore filium reduplicatâ

equitate: quia non habet similitudinem in natura amicitia capaci.

§. 37. Adhuc tamen vrget argumentum. suppositum illud vt equus, non esset Filius Dei propter defectum potentia ad amicitiam; item esset filius: quia esset viuens à viuente à principio coniuncto in similitudinem naturæ. Nec enim filius vt sic aliud exigit: bruta enim non habent amicitiam: quòd si Deus assumeret corpus equinum, posset etiam amari ab equo illo amore imperfecto: qui ad sola accidentia terminatur; ad substantiam autem denominationis. esset ergo filius, & non esset: esset, ob definitionem generationis; non esset, quia ei repugnarent attributa filij. Vide disp. 83. §. 113.

S. Thom.  
2. 2. ab a. 2.

## DISPUTATIO XLIV.

*Aliqua difficultates.*

§. 1. **P**RIMA, vtrum Verbum assumpserit personam humanam: quod S. Thomas disputat qu. 4. art. 2. Pars negatiua est fide sancta: quia Christus est vna persona: esset autem duæ, si persona humana fuisset assumpta: quia essent in Christo duæ naturæ intellectuales, & duæ personalitates. Hic posset disputari, vtrum per potentiam absolutam humanitas retinens proprium suppositum posset simul vniri diuino? partem affirmatiuam ostendi vol. 1. disp. 11. Metaphys. §. 94. at natura diuina non potest immediate vniri subsistentia creatæ, vt dixi superius. nec duæ subsistentia diuersarum naturarum possunt immediate vniri. Posse autem naturam creatam vniri diuinitus cuius subsistentia creatæ, ostendi ea disp. 11. §. 102.

§. 2. Secunda difficultas est, vtrum Verbum assumpserit hominem? de quo S. Thomas qu. 4. art. 3. Pars negatiua (accepto homine in rigore) est tam certa, quam non fuisse personam assumptam. Homo enim includit eisdem conceptus, quos persona, nempe naturam, & suppositum: & quemadmodum Petrus absque albedine non est albus, ita nec humanitas sine supposito: quamuis homo in pure naturalibus dicit in recto humanitatem; sed etiam album dicit in recto Petrum ex. gr. At verò Patres nonnulli, & præcipue August. non semel & iterum affirmant hominem susceptum à Deo: quos pru-

denter S. Thomas exponit de humanitate, quæ per synecochon significatur voce homo: sumitur enim totum pro parte præcipua, in qua sita est hominis essentia. Iidem autem Patres, maxime August. & Leo, eundem Christum dicunt esse vnam personam, non duas, contra Nestorium.

§. 3. Ludouicus Viues in lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 17. asseruit Scholasticos irridens, hominem susceptum à Deo, in rigore accepta voce. Quod ipse nulla ratione probat; sed tantum vsu aliquorum Conciliorum & Patrum ex Latinis & Græcis: at illi nusquam dixerunt id accipi proprie. alia autem Concilia & Patres proprietatem negauere constanter; & qui ea voce sunt vsi, satis aperte excludere rigorem, dum negauerunt duas esse in Christo personas. Adeantur interpretes S. Thomæ cum P. Vasquez disp. 35.

§. 4. Tertia difficultas, vtrum Verbum debuerit assumere naturam humanam abstractam ab omnibus indiuiduis? De quo S. Thomas qu. 4. art. 4. Quæstio quidem facilis: quia à parte rei omnia sunt singularia. art. autem 5. probat non fuisse assumptas omnes humanitates. factum est certum: quòd si Deus voluisset (vt potuit) omnes assumere, mille rationibus id honestaretur. Art. 6. docet assumptam naturam de stirpe Adami. quod est certum, & maxime conueniens.